

probatam conſuetudinem, Indulgentias jam pridem data fuiſſe prout merita & fervor Pœnitentiam merebatur, Synodus Tridentina declarans indulgentias juxta veterem & probatam conſuetudinem dandas eſſe, ſat inſinuat, Indulgentias eſſe concedendas cum ea moderatione ut opera pœnitentiæ non negligantur; ne alias per Indulgentias *Disciplina Eccleſiaſtica eneruetur*. Unde meritò dicit Chriſtianus Lupus in citata diſſertatione cap. 8. "Pœnitentiales Presbyteri qui tempore Indulgentiæ pro gravibus peccatis imponunt leves pœnitentias hallucinantur inſigniter, & peccatoribus plurimum nocent. Quò major eis pœnitentia imponitur, eò ſunt viciores ſatisfactioni, & ad Indulgentiæ fructum aptiores.

XXVII. Pro moderatione Indulgentiarum videtur jam pridem conſecta Regula Cancellariæ quæ erat 57. Innocentii VIII. nunc verò eſt 53. ſolita jam pridem his verbis exprimi: "Item voluit quod in litteris Indulgentiarum ponatur, quod ſi Eccleſiæ ſeu Cappellæ, vel aliàs aliqua Indulgentia fuerit *per ipſum* conceſſa, de qua inibi ſpecialis mentio facta non ſit, hujusmodi litteræ ſint nullæ.

Notat enim Alphonſus antiquus Regularum Cancellariæ Gloſſator, quia Papa "ſi ſibi fuiſſet facta mentio de aliqua Indulgentia, fortè illam non dedidiſſet, ſaltem non ità de facili.

At ſi Indulgentia aliqua data ſit idem Eccleſiæ à Prædeceſſoribus hujus Pontificis ſecundam Indulgentiam concedentis, credit Alphonſus, & poſt eum Joannes Choquier & alii ab eo citati, litteras Indulgentiæ non eſſe nullas licet prioris Indulgentiæ jam conceſſæ mentio ſpecialis facta non ſit ob verba Regule *per ipſum*, quæ regulam reſtringere videntur ad Pontificem Indulgentiam ſecundam concedentem.

XXVIII. At hodie in regula illa prout à moderno Pontifice Innocentio XII. promulgata eſt, prædicta verba *Per ipſum* non habetur, uti etiam notavit R. P. Hunoldus Pletenbergius in *Notitia Congregationum*, & *Tribunalium Curia Romana* pag. 468. Ideo ſociè expuncta ut major in Indulgentiis moderatio ſervetur; nec faciliè plures, etiam ſub prætextu quod à diverſis Pontificibus indulta ſint, in eadem Eccleſiæ aut Cappellæ habeantur: atque ità aliquando paulatim pericere-tur quod aggreſſus fuerat Clemens VIII. de quo Baronius, relata in aliqua Indulgentiarum moderata forma, ità ſcribit: "Ad quam laudabilem antiquam formam S. D. N. Clemens VIII. non ſine divino inſtinctu eſſeſuſ nimis Indulgentiarum conceſſiones reſtringere aggreſſus eſt; ſunt enim potius remiſſiones valla Indulgentiarum laxitate Fideles." Hæc ille ad annum 847.

XXIX. Altera Regula Cancellariæ 54. habet: "Item voluit idem D. N. quod litteræ ſuper Indulgentiis non expediantur *adinſtar*, niſi ſpecificentur.

Adinſtar nimirum aliarum Indulgentiarum aliis Eccleſiis, locis aut perſonis conceſſarum, ſuper quibus non vult Pontifex expediri litteras, niſi Indulgentiæ antea conceſſæ ſpecificentur; tum ne nimirum multiplicentur Indulgentiæ, tum ut præcaveantur fraudes, quæ facile in hujusmodi generalitate irrepunt.

XXX. Clemens IX. anno 1669. inſtituit novam Congregationem Cardinalium & aliorum Prælatorum, cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non pertineat (circa graviora & difficiliora Romano Pontifice prius conſulto) expediendi. Abuſus quoque, qui irrepſiſſe poſſent, judicii tamen forma planè poſt-poſita corrigendi & emendandi. Falfas, apocryphas indecretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impreſſas recognoſcendi & examinandi; & ubi Pontifici retulerit, ejus auctoritate rejiciendi. Ac

in Indulgentiis concedendis *moderationem* adhiberi, omniaque piè, ſanctè & incorruptè fieri curandi." In Conſtit. quæ incipit *In ipſis* 36. in Bull. R.

C A P U T III.

De abuſu Quæſtorum Eleemoſynarum; eorum aboluone; & de quæſtu in ulu Indulgentiarum vitando.

1. Quæſtores nude diſti, & quo poſſimum tempore caperint?
2. Formula litterarum hujusmodi Quæſtoribus dari ſolitarum.
3. Quæſtores non admittendi niſi oſtenſis litteris, & juxta earum tenorem.
4. Quæ à Quæſtoribus cavenda ex Decreto Concilii Lateranenſis.
5. Quæſtores ſubinde falſum Religionis habitum aſſumebant.
6. Reſeruntur multiplices illorum Quæſtorum exceſſus.
7. Decretum Concilii Viennenſis contra Quæſtores.
8. Hoc Decretum effectum non habuit; & quare?
9. Quæſtores à Joanne XXIII. miſi in Belgium.
10. Quanti eſſent horum abuſus tempore exorta hæreſis Lutherala.
11. Horribilem & infamem horum mercenariam & mala ex ea provenientia proponit Conventus Principum Germaniæ.
12. Decretum Synodi Tridentini quo uſus Quæſtorum aboleatur & ratio hujus Decreti.
13. Omnes Indulgentiæ pro quibus manus adjutrices eſſent porrigenda; aut quæ quæſtuandi dant facultatem revocata.
14. Eccleſia voluit arceri omnem quæſtum ab Indulgentiarum uſu.
15. Indulgentia hodie per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo publicari & recognoſci debent.
16. Id obtinet in omnibus Indulgentiis quibuscumque locis, etiam exemptis conceſſis.
17. Eleemoſyna & charitatis oblata ſine ulla mercede colligenda, & à quibus?
18. Quid S. Carolus ad hunc effectum decrevit?
19. Monendus populus non eſſe neceſſariam pecunie donationem pro lucranda Indulgentia.



Leemoſynaria Indulgentia poſt inſtitutum ab Urbano II. ſacrum bellum cepit admodum frequentari, ſicut Chriſtianus Lupus in Diſſert. De Peccatorum & ſatisfactionum Indulgentiis cap. 4. Da. i cepit omnibus, qui ſanctum illum domini exercituum ſuis eleemoſynis adjuvarent. Exendi item ad ſuſtentanda pauperum hoſpitalia, reparandas baſilicas, aliàsque cauſas ſimiles. Et tam à Rom. Pontifice, quam ab aliis Episcopis inſtituti ſunt Prædicatores, qui per ſingula oppida & Pagos adjuvarent Indulgentias ſuis concionibus, & pœnitentium oblationes colligerent. Et hoſ ita ætas titulavi: *eleemoſynarum Quæſtores ac Prædicatores quæſtuarios*.

II. De his loquitur Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. in Cap. 14. De Pœnit. & Remiſſ. expreſſa ibidem formula litterarum Apoſtolicarum, quæ hujusmodi eleemoſynarum Quæſtionibus à Sede Apoſtolica dari conſueverant; erat autem hæc: "Quoniam (ut ait Apoſtulus) omnes habemus arge tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus ſive bonum fuerit, ſive malum: oportet nos diem mercedis extremæ miſericordiæ operibus prævenire, ac

æternorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis firmam ſpem fiduciamque rectam tenentes: quoniam qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benediſtionibus, de benediſtionibus & metet vitam æternam. Cum igitur ad ſuſtentationem fratrum & egenorum ad tale conſuetudinem hoſpitale, propriæ non ſuppetant facultates: univerſitatem veſtram nemus & exhortamur in Domino atque in remiſſionem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis vobis à Deo collatis pias eleemoſynas, & grata eis charitatis ſubſidia erogetis: ut per ſubventionem veſtram ipſorum inopia conſulatur, & vos per hæc bona & alia, quæ Domino inſpirante feceritis, ad æterna poſſitis gaudia pervenire.

III. Forma autem idcirco exprimitur, ut ex illa Episcopii litteras falſas à veris diſcernere poſſent. Quidam enim, teſtante Concilio, ſe alios mentiendo abuſiones nonnullas in ſua predicatione proponebant. Unde Quæſtores admitti prohibet, niſi prius litteras veras exhibeant: Et tunc præter id quod continebitur in ipſis litteris, nihil populo proponere permittantur.

IV. Deinde addit: "Qui autem ad quærendas eleemoſynas deſtinantur, modeſti ſint, & diſcreti, nec in tabernis aut in aliis locis incongruis hoſpitentur; nec inuſuales faciant aut ſumptuoſas expenſas; caven-tes omnino ne falſa religionis habitum geſtent.

V. Notanda ſunt verba. alios ſe mentiendo ne falſa Religionis habitum geſtent. Quo populum in largas eleemoſynas circumſcriberent, iſti Paraſiti aſſumebant Nonnaticum habitum: Simulabant curioſos, & ex alienis peccatis vivebant Bacchanalia: ait Lupus loco citato.

VI. De quæſtorum illorum exceſſibus in Clem. 2. De Pœnit. & Remiſſ. ſub nomine Concilii Viennenſis reſeritur; quod "non ſine multa temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum, Indulgentias populo motu ſuo proprio deſacto concedant, ſuper votis diſpenſent, à perjuratiis, homicidiis, & peccatis aliis ſibi conſentientes abſolvant, male ablata incerta [data ſibi aliqua pecuniæ quantitate] remittant, tertiam aut quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, animas tres, vel plures parentum, vel amicorum illorum, qui eleemoſynas eis conſerunt, de purgatorio (ut allerunt mendaciter) extrahant & ad gaudia para-diſi perducant, benefactoribus locorum, quorum Quæſtores exiſtant, remiſſionem plenariam peccatorum indulgeant, & aliquid ex ipſis eos à pœna & à culpa [ut eorum verbis utamur] abſolvant.

Hæc autem omnia, quemadmodum monet Concilium: ut ſimplices decipiant, & aurum ſubtili vel fallaci potius ingenio extorquant ab eiſdem.

VII. Hoc omnes exceſſus cohibere ſtudit dictum Concilium, atque inter alia diſtictè prohibuit, "ne Quæſtores aliqui (niſi Apoſtolicas vel Diœceſani Episcopii litteras exhibuerint) quomodolibet admittantur, nec permittantur [cum ſolum ipliſ comittantur indulgentias ſibi conceſſas inſinuare populo, & charitativa poſtulare ſubſidia ſuppliciter ab eodem] nullatenus ipſi populo prædicare, nec aliud exponere, quam quod in litteris continebitur ſupra dictis. Litteras quoque Apoſtolicas Diœceſani Episcopii [ne quid fraudis committi valeat per eaſdem] antequam admittant Quæſtores ipſos, examinent diligenter.

VIII. At fruſtraneum & ſine effectu fuit hoc Decretum. Hoc enim hominum genus ad quæſtum unicè intentum, ſimili repagulo cohiberi non potuit.

Nec ſoli quorundam hinc inde Episcoporum, ſed etiam Romanorum Pontificum Quæſtoribus commiſerunt graviffimos abuſus, inquit Chriſtianus Lupus Loco allegato.

Et quidem inter articulos contra Joannem XXIII. in Synodo Conſtantienſi allegatos erat hic ordine 23. Dominus Joannes Papa Nicolao Mercatori in Legatione exiſtenti conceſſit, indulſit, & commiſit, ut idem Nicolaus quibuſcumque hominibus utriuſque ſexus ad ſuæ libitum voluntatis deputare poſſet Conſellores. Et quod hujusmodi Conſellores deputati abſolvere poſſent à pœna & à culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus. Quas quidem prætenſas indulgentias idem Mercator publicavit & publicari fecit in certis locis, Civitatibus & Villis, utpote Traſſi, Mechliniæ, Antverpiæ, & alibi, de quibus maximas pecuniarum ſummas exhausti & extorſit Chriſti fideles ſeducendo, ac ſtatum & vitam totius Eccleſiæ Catholice enormiter ſcandalizando.

IX. Quam horribilis eſſet Quæſtorum illorum exceſſus tempore exorta hæreſis Lutherana narat Joannes Camerarius de Bello Smalcaldico: "Veniales proponebantur deſunctorum animæ, quas licebat redimere certo ſoluto pretio, & peccatis ſuis quilibet qualibuſcumque hanc veniam impetrare poterat numerata pecunia quantum Inſtitutor petebat. Ac nummi collecti ab illis negotiatoribus inſumebantur in varias voluptates, cum de Germanorum ſtolidorum opibus animo illi quieto delicatiſſimè viverent. Hæc autem mercatura vocabatur *venia peccatorum*.

X. Has Quæſtorum nundinationes ſub idem pene tempus expoſuit Conventus Norembergienſis in ſua ad Adrianum VI. Legatione; aſſeritque, quod hi Indulgentiarum Buccinatores, "Laudes ſuis mercibus occiderent; miras & inauditas condonari per emptitihas, has condonationes, nedum noxas præteritas, aut futuras viventium; ſed & ſunctorum vita, exiſtentiam in purgatorio igne, modo muneretur aliquid, modo timeat dextra." Poſt hæc, quid ex hac mercimonia natum ſit, oriri ſubdit: "Atque his mercemania, & Chriſti pietas extincta, quando quilibet pro pretii, quod in has merces expenderat, modo peccandi impunitatem pollicebatur. Quod enim malorum, amplius jam horrebunt mortales, quando ſibi peccandi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, ſed & poſt obitum, ære, licet immodico comparari poſſent, à nundinatoribus illis Indulgentiis, ſemel perſuaſum habent? Maximè Germani quibus hos veræ pietatis ſucos, ſub religionis perſona, nihil non perſuadet difficile eſt, ut ingenio planè ad pietatem credulo eſt Germania.

XI. Cumque Patribus Tridentinis hi Quæſtorum exceſſus nimis quam noti eſſent; atque ab ipſis materiam hæreſi Lutheranae præbitam eſſe ſciunt; ipſique ſat perſuaſum eſſet, adverſis Conciliis adverſus horum abuſus adhibita remedia fuiſſe fruſtranea; eorumque malitiam & fraudem, ita quotidie magno Fidelium omnium ſcandalo & querela excreſcere, ut de eorum emendatione nulla ſpes amplius relictâ videretur, unanimi conſenſu decretum eſt, "ut poſt hac in quibuſcumque Chriſtianæ religionis locis eorum nomen, atque uſus penitus aboleatur; nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obſtantibus privilegiis, Eccleſiis, Monafteriis, hoſpitalibus, priſ locis, & quibuſvis, cujuſcumque gradus, ſtatus & dignitatis perſonis, conceſſis, aut conſuetudinibus etiam immemorabilibus." Seſſ. 21. cap. 9. De Reformat.

XII. Cum non obſtante hoc Concilii Decreto, nonnulli prætextu Indulgentiarum certis Eccleſiis, Hoſpitalibus & Monafteriis per Romanos Pontifices conceſſarum, lucrum ex illis quærere pergerent; Pius V. omnes & ſingulas indulgentias etiam perpetuas, &

peccatorum remiſſiones quibuſcumque Eccleſiis, Hoſpitalibus, Monafteriis, Confraternitatibus aliſve piis locis etiam per ipſum alioſve Romanos Pontifices, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis, etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac ex quibuſvis etiam urgentiſſimis cauſis, etiam cauſa redemptionis captivorum & aliis quomodolibet conceſſas; pro quibus manus ſunt porrigenda adjutrices, & quæ quaſtuandi facultatem quomodolibet continent, auctoritate Apoſtolica perpetuo revocavit, caſſavit, irritavit, & annullavit, ac viribus vacuavit. Conſtit. quæ incipit, *Eſſi Domini* ei 30. in Bull. R. Eſt & alia ejuſdem Pontificis Conſtitutio quæ incipit, *Quam plenam* 99. in Bull. R. qua ſimilem abuſum in quibuſdam Hiſpaniarum Eccleſiis adhuc vigentem reprobat.

XIII. Ex Decreto concilii, & hiſce Pontificiſ Conſtitutionibus non obſcurum eſt, principium Eccleſiæ in abrogatione Quæſtorum ſcopum fuiſſe, omnem quæſtum ab Indulgentiarum uſu arcere, "ut tandem ceſſanteſ hos Eccleſiæ theſaurus [indulgentiarum] non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri omnes verè intelligant," uti in citato Decreto loquitur Synodus Tridentina.

XIV. Ut autem fidelius diſpenſentur, mandat, "Indulgentias aut alias ſpirituales gratias deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus publicandas eſſe.

Synodus P. II. Mechlinienſis tit. 6. expreſſo hoc Tridentino Decreto, addit, "Quod ab eis (Episcopis) erit diligenter obſervandum, ſummà in illis indulgentiis recognoſcendis adhibita diligentia.

XV. Sanctus Carolus in Concilio Mediol. V. parte 1. tit. De Indulgentiis conformiter ad citatum Tridentini Decretum declaravit: "Ne cuius Reſtori Eccleſiæ etiam exemptæ quovis modo, neque ulli ordini Regularium, neque cuiquam ſcholæ, confratritæ, etiam Roſatii, & cruce ſignatorum, locive pii Collegii, prætextu, cauſave vel privilegiorum etiam antiquorum, vel indulgentiarum, quas ſibi quovis modo conceſſas, etiam inſtar Eccleſiarum locorumque piorum, confratritarumve Urbis Romæ habet, liceat illas ipſas in ſuis Eccleſiis promulgare: ſed ut Decreto Trid. cavetur, per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo, illæ quotannis publicentur atque evulgentur.

Si hoc exactum examen præviè ad publicationem Indulgentiarum ubique ab Episcopis inſtrueretur, ſpes eſſet, majorem futuram in earum publicatione moderationem; atque illæ exorbitantes, quæ in multis Confraternitatibus libellis, multiſque Eccleſiis proponuntur, reſcinderentur.

XVI. Addit inſuper Synodus Tridentina eodem hoc Decreto: "Quibus (Episcopis adjunctis duobus de Capitulo) etiam eleemoſynas atque oblata ſibi charitatis ſubſidia, nullà prorsus mercede acceptà, fideliter colligendi facultas datur.

XVII. Hoc Decretum innovavit S. Carolus in Concilio Mediol. V. loco ſupra citato; ac una omnem quæſtus faciendi ſpeciem in hac materia tanotam cupiens cavet: "Ne Indulgentiarum litteræ, inſcriptioneſve earum nomine exarata, eo loco, ubi capſa ad eleemoſynam colligendam apparatus, etiam extra Eccleſiam proponantur, aſſilganturve, ſed vel in altari majori vel in alio, ubi Indulgentiæ cauſa, ſtatio, ratiove conſtituta eſt.

XVIII. Deinde addit: "Ac proinde ſtatis iis diebus, quibus Episcopus indulgentiam promulgandam decreverit, cum fideles ad eleemoſynam Eccleſiæ, loco, ve pio tribuendam, ubi illius indulgentiæ celebritas agitur, Parochus, Concionatorve excitabit, doceat ſimul diligenter, ejus conſequendæ cauſa non eſſe ne-

ceſſariò præſtitutam eleemoſynæ largitionem: ut ceſſanteſ eum Eccleſiæ theſaurum, ſpiritualiaque munera exponi omnes intelligant, non ad quæſtum, ſed ad peccatorum ſatiſfactionem, & ad pietatis exercitationem. Si verò aliquando Episcopi conceſſu capſa in quam eleemoſynæ fidelium conſiciantur, palam poſatur, intus in Eccleſia loco longè ab altari, ubi indulgentiæ ſtatio agitur, decorè collocetur.

CAPUT IV.

De Jubilæo.

1. Primus hujus formula indulgentialis Auctor creditur Bonifacius VIII.
2. Formula Indulgentialis ex præſcripto Bonifacii.
3. Conditiones pro lucranda indulgentia à Bonifacio requiſita.
4. Quis plus participet? & quid per pleniffimam Indulgentiam intelligatur?
5. Bonifacius VIII. non conceſſit Indulgentiam niſi perſonaliter Baſilicas Apoſtolorum viſitantes.
6. Annum Jubilæi Clemens VI. contraxit ad annum quinquageſimum.
7. Clemens in ſua Bulla Indulgentia adſtruit theſaurum Indulgentiarum.
8. Cui theſauri hujus diſpenſatio à Chriſto credita ſit explicat.
9. Rationes contracti Jubilæi ad annum quinquageſimum.
10. Extenſa Indulgentia à Clemente ad aliquos perſonaliter non viſitantes Baſilicas.
11. Quanta hominum multitudo ad lucrandas Indulgentias Romam perrexit.
12. Annum Jubilæi rursus contraxit Urbanus VI. ad annum trigefimum tertium, & indixit.
13. Bonifacius IX. ſucceſſor Urbani Jubilæum ab Urbano indixit celebrari, ſed plures illud non agnovimus; & quare?
14. Romana Eccleſia reductionem Urbani VI. non admiſit.
15. Sixtus IV. reductionem Pauli II. Jubilæi ad annum 25. probavit; & illo anno alias Indulgentias ſuſpendit.
16. Quomodo Bonifacius IX. Indulgentias Jubilæi etiam ad alias Eccleſias extenſerit; & quare hæ Indulgentia à non nullis parum aſtimarentur.
17. Sub medium ſeculi XV. Indulgentia hæc nondum generaliter omnibus Eccleſiis communicabatur.
18. Primus extenſionem feciſſe legitur ad omnes Eccleſias Paulus II.
19. Sub medium ſeculi XV. nondum Conſeſſariis facultas abſolvendi à reſervatis; aut communitandi vota per Bullam Jubilæi data.
20. Uſque ad ſæculum XVI. Jubilæum non dabatur alias Eccleſiis niſi anno Jubilæi Romæ abſolutò.
21. Sixtus V. primus videtur Jubilæum extra annū ſequentem annum Jubilæi Romani de diſſe; & quomodo ſubſequentes eum ſecuti.
22. Conditiones in bodierna Jubilæi forma præſcriptæ.
23. Populus à Parocho inſtruenſus quomodo hæ conditiones implenda.
24. Datur libera electio Conſeſſarii approbati idque cum facultate abſolvendi à reſervatis & vota communitandi.



Amoſa admodum Indulgentiæ ſpecies eſt, quæ Jubilæum vocari ſolet; eaque omnium largiffima æſtimatur.

Hujus Indulgentialis formulæ monumentum hæcenus non reperitur anti-

antiquius Conſtitutione Bonifacii VIII. quæ reſertur in extravagante ANTIQUORUM De Penitentia & Remiſſi. in Communib.

Dicit quidem Pontifex in hac Conſtitutione: "Antiquiorum habet fida relatio, quod accedentibus ad venerabilem Baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe conceſſæ ſunt magnæ remiſſiones & Indulgentiæ peccatorum" ſed quia harum Indulgentiarum olim conceſſarum non reperitur authenticum & ſufficiens teſtimonium, hæcenus hic Pontifex Bonifacius VIII. habetur primus hujus Indulgentialis formulæ promulgator.

II. In hac conſtitutione Bonifacius VIII. ait: "Nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem Apoſtolorum ejus (Petri & Pauli) meritis & auctoritate conſili de Fratrum noſtrorum conſilio, & de Apoſtolice plenitudine poteſtatis omnibus in præſenti Anno milleſimo trecentefimo à feſto Nativitatis D. N. J. C. præterito proxime inchoato, & in quolibet anno centefimo ſecuturo, ad Baſilicas ipſas accedentibus reverenter, verè poenitentibus & confeſſis; vel qui verè poenitebunt, & conſitebuntur in hojuſmodi præſenti & quolibet centefimo ſecuturo annis, non ſolum plenam, & largiorem, imò pleniffimam omnium ſuorum concedemus & concedimus veniam peccatorum.

III. Poſt hæc, conditiones lucrandæ Indulgentiæ exprimit his verbis: "Statuentes, ut qui voluerint hojuſmodi Indulgentiæ à nobis conceſſæ fieri participes: ſi fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis ſeu interpolatis, & ſaltem ſemel in die: Si verò peregrini fuerint aut forenſes, ſimili modo diebus 15. ad Baſilicas eaſdem accedant." Romanos ad 30. peregrinos ad 15. viſitationis dies adſtrinxit: quod nempe ad urbem laborioſa peregrinatio ſit in partem ſatiſfactionis computanda.

IV. Hoc deinde monet: "Unuſquiſque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius & devotius frequentabit.

Dum ergo dixit, ſe non plenam, aut largiorem dumtaxat, ſed & pleniffimam Indulgentiam dare; idem eſt, ac ſi dixiſſet, omnem poſſibilem; atque unumquemque eò amplius de ea percepturum, quo ſe magis per devotam Baſilicarum viſitationem ad lucrandam Indulgentiam præparavit.

Antiquus Gloſſographus quærens, quomodo iſta ſe compatiantur, PLENAM, LARGIOREM, & PLENISSIMAM: Reſpondet: "Dico Papam interpretatum fuiſſe in Conſitorio me præſente, hanc Indulgentiam adeo plenam, prout Clavium poteſtas ſe extendit.

V. Hanc Indulgentiam Bonifacius VIII. iis ſolis conceſſit, qui recurrente centefimo anno perſonaliter ipſas Baſilicas Principis Apoſtolorum reverenter & devotè viſitarent, nullà alterius Baſilicæ, aut abſentium, qui ipſum iter ſuſcipere, aut perficere non poſſent. factâ mentione.

VI. Necdum à prima Indulgentia Bonifaciana anni quinquaginta erant elapſi, cum Clemens VI. ad inſtantiam & ſupplicationem Romanorum, qui de hac re ad eum nuntios miſerant, mutaverit magnam Jubilæum de anno quinquageſimo in quinquageſimum, quod Bonifacius VIII. voluerat eſſe de centefimo in centefimum; atque ita Clemens VI. anno 1350. voluit eſſe Jubilæum; cum juxta conſtitutionem Bonifacii annus Jubilæus tantum recurreret anno 1400. voluitque Clemens VI. ut poſtmodum de quinquageſimo in quinquageſimum annus Jubilæus ſemper recurreret.

Extat diploma hujus Jubilæi in Extrav. UNIGENTIVS De Penit. & Remiſſi. in Communib.

VII. In hac ante omnia fuſè oſtenditur, Eccleſiæ relictum eſſe theſaurum ex meritis Chriſti conſtantem;

Ad cujus quidem theſauri cumulum Beatæ Dei Genetricis omnium Electorum à primo Juſto uſque ultimum adminiculum præſtare noſcantur.

VIII. Deinde dicit, quod Chriſtus "hunc Theſaurum non in ſudario reſpoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum cæli Clavigerum ejuſque Succeſſores ſuos in terris Vicarios commiſſit Fideiſ libus ſalubiter diſpenſandum: & propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione poenæ temporalis pro peccatis debita, tam generaliter, quàm ſpecialiter [prout eum Deo expedire cognoviſſent] verè poenitentibus & confeſſis miſericorditer applicandum.

IX. His expoſitis, adducit rationes contracti temporis indicendi Jubilæi Primò, quod Jubilæum Judaicum non quovis anno centefimo dumtaxat, ſed quovis quinquageſimo recurreret; ipſumque fuiſſe imaginem Jubilæi Chriſtiani.

Secundò, quod "numerus quinquagenarius in Teſtamento veteri ex Legis datione, in Novo ex viſibili Spiritus Sancti in Diſcipulos miſſione, per quem datur remiſſio peccatorum, ſingulariter honoratur.

Tertiò, quod velle, "quamplurimos ejuſmodi Indulgentiæ fore participes, cum pauci multorum reſpectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centefimum pervenire.

X. Præterquam quòd Jubilæum ad annum quinquageſimum reduxerit Clemens VI. addidit inſuper: "ut etiam qui pro ea conſequenda ad eaſdem baſilicas & Eccleſiam accedent, at poſt iter arreptum impediri legiſſimè, quò minus ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel prætaxato numero dierum non completo in Urbe deceſſerint, verè poenitentes & confeſſi, eamdem Indulgentiam conſequantur," atque ita rursus hoc titulo Indulgentiam Bonifacii extendit, qui iis tantum qui perſonaliter, & quidem præſinito numero dierum, Baſilicas Apoſtolorum viſitaſſent, Indulgentiam conceſſerat.

XI. De hac Clementis liberalitate agens magnum Chronicum Belgii ſcribit: "Anno illo Jubilæo à Clemente VI. inſtituto & publicato per totam Chriſtianitatem, innumerabilis populus utriuſque ſexus turmatim Romam perrexit pro Indulgentiis impetrandis. Cujus tanta fuit multitudo, ſicut quidam ex Peregrinantibus narravit, ut quotidie infra dictum annum 5000. peregrinorum intrantes & exeuntes Romæ computarentur." Hæc ibi.

XII. Rursus anno quinquageſimo à celebratione Jubilæi nondum expleto Urbanus VI. (à quo famoſum ac diuturnum ſchiſma Avenionenſe incepit) tempus Jubilæi contraxit ad annum trigefimum tertium; ita enim de eo ſcribit Theodoricus A Niem lib. 1. De Schiſmate cap. 88. "Urbanus ultimo anno Pontificatus annum Jubilæi abbreviavit, ſcilicet ad ſingulos triginta tres annos, & conſtituit quòd tunc anno Domini milleſimo trecentefimo octogefimo octavo in feſto Natalis Domini inciperet annus Jubilæus in Urbe, & duraret per annum incluſivè. Prout & factum fuit. Sed ipſe Urbanus illum non vidit: Quia priùs ab hac luce migravit. Et innumerabiles peregrini toto illo anno, poſtquam incepit Jubilæus, præſertim de Allemania, Hungaria, Polonia, Bohemia, Anglia & aliis Regnis ac Provinciis, quæ fuerunt de obedientia Urbani ad urbem venerunt: Unde & maxima offerentia Eccleſiis & Baſilicis Urbis per viſitatores data fuerunt, ſed reſiduum, & major pars ad manus Bonifacii noni, & quorundam aliorum devenit.

XIII. Ipiſum quoque reſertur in magno Chronico Belgii pag. 300. additque de Bonifacio IX. Succeſſore Urbani VI. "Anno Pontificatus Bonifacii primo, juxta ordinationem Domini Urbani Pap. VI. ex hujus appro-